



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





17  
COLLEGII SECUNDI  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO II.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ ΙV.

De

JUSTIFICATIONE.

*Proposita*

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito.

R E S P O N D E N T E

JOHANNNE FABRICIO

Gedano-Pruteno.

*Habebitur in Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 12. Julij.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.





V I R O

*Admodum Reverendo, Clarissimo atque  
Excellentissimo*

**Dn. JOHANNI CORVINO**

S. S. Theol. Doctori, templi Parochialis  
Dantiscani Pastori primario & vigilantissi-  
mo, Dn. Promotori & affini suo omni  
observantiâ nunquam non  
devenerando.

*Hancce Exercitationem Acade-  
micam*

In

Observantiæ *τηκμησιον* gratiq;  
animi *μνημόσυνον*

*officiose*

D.

D.

D.

**JOHANNES FABRICIUS**

*Resp.*





*Continuatio.*

**H**ic sub consuetam libri hujus Symboli-  
ci διχοτομίαν, quâ articuli in θεσιν & ἀντιθε-  
σιν dividuntur, præsens hic de justifica-  
tione articulus non venit; sed constat  
perpetuâ ὁμοιογενείᾳ, ac omisâ ἀντιθέσιν  
in solâ veræ sententiæ expositione ejusq;  
definitione acquiescit: gemino tamen discursu ita pro-  
cedit oratio, ut primùm κατ' ἄρσιν falsas ac erroneas ju-  
stificationis nostræ causas removeat: deinde verò κατ' ἰσχύ-  
σιν veram atque orthodoxam nostrarum Ecclesiarum  
confessionem exponat; manifestum proinde est, & hu-  
jus articuli tractationem à divisione usitatâ non planè  
abhorrere: sed ἀντιθέσεως vicem id præbere, quod θεσιν  
sua ἄρσιν adjunctam habeat, & sic bimembris quodam-  
modo efficiatur. Atque hoc nitentes fundamento in  
præcedente disputatione explicationem hujus quoque  
articuli dispescimus in θετικὴν & ἀντιθετικὴν: Cumq; ὅτε ἔργον  
πρότερον facientes de illa ratione nostri instituti suffici-  
enter egimus; consequens est, ut ad alterum membrū  
ἄρσιν, id est, falsæ sententiæ repudiationem progre-  
diamur.

*THESIS I.*

**U**bi initio statim tenendum est, quod in falsæ sententiæ no-  
tatione tria perstringat Confessio, nimirum propriis neque  
viribus, neque meritis, neque operibus fieri posse, ut coram  
Deo homines justificentur.

II. Libratissimo hoc verborum pondere ac delectu tres

A 2

ab ho-



ab homine removentur justificationis causæ. 1. *Efficiens*. Nam viribus destitutus, effectum in justificando nihil homo quit præstare. 2. *Formalis*. Dempto enim valore meriti, justitiæ ratio nequit consistere. 3. *Materialis*. Homo enim per lapsum totus est corruptus; dum malè operando salus ommissa est: operando ergo illa iterum reparanda: in quo genere plus nimio humana opera deficit.

III. His ergo abrogatis præter nihilum nihil superest, quod in Justificatione peragendâ homini relinquatur: nimirû, quia *ex nobis quidem est perditio: tantummodo autem ex Domino salus nostra*, Osee 13. v. 9.

IV. Quatuor statim nostris objecerunt Pontificii. 1. Obstrepuerunt, & cum primis Johannes à Daventria *ἀγών* hanc non Romanorum doctrinæ, sed Pelagianorum hæresi obstrepere. 2. Pernegârunt hanc suarum Ecclesiarum doctrinam esse. 3. asseruerunt, se non proprium, sed alienum constituere id, à quo, ex quo, in quo nostra fiat justificatio, nempe Spiritum S. vel ut Scholastici locuti, gratiam Dei. 4. *Θέσις* & sententiam nostram ex schola Simonis Magi & Valentini contra Ecclesiæ consensum esse repetitam calumniari haud dubitârunt, & potissimum Rabula ille Fabricius, Harmon. 36. a.

V. Hic primum generale illud à nobis responsi aufferant, eam esse Spiritus Pontificii in constituendis justificationis causis vertiginem, eam vanitatem & inconstantiam, ut ubi tandem pedem fixuri sint, ne hodie quidem satis appareat.

VI. Tredecies enim ad minimum ipsos statum controversiæ subdolè mutâsse vel inde liquidò constat: quod 1. interdum legis duntaxat ceremonialis operibus justificationem abrogant, ut sic moralis legis operibus eam esse concedendam, disertè innuant, *Andrad. lib. 6. f. 5.6.* 2. Mox in differentia legis asylum statuunt, dum alios lege naturæ, ut Patriarchas, alios lege Mosaicâ, ut Israelitas posteros, alios lege Christi sive Evangelicâ ut nos in Novo Testamento justificari doceant, *Isingr: super Evangel. sept. & alii.* 3. Nonnunquam operibus non quidem ex asse, sed ex semisse tamen justificationem concedunt, ut cum  
fide



fide formatâ ( ut Eccius loqui docuit ) cum fide & charitate si-  
 mul, seu fide vivâ & efficaci ( ut liber Cæsar. Majestatis Ratis-  
 bonensis loquitur ) peccatorem justificari perhibuerunt. 4. A-  
 liâs operibus, non ut causis per se, sed tantùm tanquam causis  
 ὡς αἰτία ἔδεν justificationem assignârunt, *Ruardus Tapperus Art. 11.*  
*f. 182. & Petr. Asotus cath. assert. fol. 61.* 5. Quandoque fide & pati-  
 entia constare justificationem nostram publicè prodiderunt,  
*Joh. de Daventria in oppugnatione hujus articuli, Harmon. August. Con-*  
*fess. fol. 44.* 6. Non rarò propriam meriti vim quidem operibus  
 in justificatione abrogârunt: sed quasi meritoria esse dixerunt,  
 quæ quidem vim meriti non ex se habeant, sed ex misericordia  
 Dei mutuarentur. 7. Est & quando in subjecto variationis an-  
 sam arripuerunt, idq; bifariam. Alias enim Gentiles operi-  
 bus justificari negarunt, ut sic in Christianis illud locum habe-  
 re posse haud obscurè innuerent, *Petr. Asotus in schol. f. 55.* Alias  
 geminum quoque in Ecclesiæ ordinem constituerunt, ut alios  
 dicerent impios, qui nondum fuerant justificati aut conversi;  
 alios relapsos, qui post justificationem semel acceptam in im-  
 pietate relapsi fuerint. Illos sine operibus omninò; hos sine  
 iis neutiquam justificari assertum est. Hujus dogmatis publi-  
 cum suscepit patrocinium, *Joh. Hoffmeisterus in refutando hoc Articulo,*  
*Harm. Confess. Aug. fol. 55.* 8. Fuerunt qui opera non quidem  
 esse causam meritoriam salutis & justitiæ contenderunt: orga-  
 nicam tamen esse & instrumentariam utriusq; illius applicando  
 causam contenderunt; *Christoph. Lautherius.* 9. Fuerunt quoq;  
 qui justitiæ, si non consequendæ, augendæ tamen rationem ex  
 operibus esse, annotarent, *Tapperus art. 11. fol. 181.* 10. Alii, ex o-  
 peribus non justificari quidem, salvari tamen hominem publi-  
 cè asseruerunt, *Hoffmeisterus l. alleg. 11.* Quidam justificationis  
 initium fidei, progressum verò operibus adscribendum esse, pu-  
 blicè statuerunt, *Tapperus art. 11. fol. 98. Trident. Concil. sess. 6. cap. 8.*  
 12. Plerisq; visum fuit geminam constituere justificationem,  
 primam & secundam. Illam, quæ in baptismo obtingat,  
 planè gratuitam; hanc, quæ adultorum sit propria ex operi-  
 bus constare. Sic communiter docent *Jesuitæ, imprimis Co-*  
*lonienses*



*lonienses & Trident. Concil.* 13. Tandem non desunt, qui justitiæ nobis inhærenti sive infuso habitui constanti ex spe, fide & cum primis charitate justificationem tribuunt Bellarm. tom. 1. fol. 1032. & 1059. edit. anni 1593.

VII. Satis, nî fallor, opinionum: quibus cum si quis articulum hunc conferat, facilè inveniet oppositum, cui dica scribatur.

VIII. Cæterùm ut in specie quoque ad singula respondeamus: initiò ponamus *ἀρετήν* illam fuisse Pelagianis appositam: Quid tum? Num igitur culpâ vacabunt Pontificii? Nihil certè minus. Quis enim adeò ignarus Theologicarum controversiarum, qui non vel manibus palpet plurima, eaque præcipua hæreseos Pelagianæ capita, Pontificios & jam olim sibi fecisse propria; & in hunc usque diem pro iis, tanquam pro aris & focis, dimicare?

IX. Quid enim? Annon Pelagianum est, quod Lusitanus ille Dieghus Payva, vulgò Andradius dictus, Tridentini Concilii Hyperaspistes acerrimus, Ethnicis notitiam illam Dei, quam ex lege naturæ hauserunt, citra gratiam Christi, ad salutem satis fuisse, apertè scribit, *Expl. Orth. lib. 3. pag. 288. & 292?*

X. Annon Pelagianum est, quod idem Andradius Israelitas posteros ex lege Mosis sine Christo salvatos contendit? Què in modum quoque *πελαγανίζει* Isengrinus super Evangel. septuagesima.

XI. Annon Pelagianum est, quod Scholastici cum primis doctores disputant de merito congrui, & facienti quod in se est, primæ gratiæ meritum ex congruo promittunt: Et bonum opus secundum substantiam considerant prout procedit ex libero arbitrio, non quidem condignum esse scribunt vitæ æternæ propter maximam inæqualitatem: sed esse tantùm ibi congruitatem dicunt propter quandam æqualitatem proportionis: quia congruum videtur, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ bonitatis: quemadmodum Thomas habet, *prima secunda q. 114.*

12. An-



XII. Annon Pelagianum est, quod Pontificii Doctores non semel contendunt, sine Spiritu Sancto solis naturæ viribus posse Deum ab homine diligere super omnia?

XIII. Negant quidem hoc Fabricius & Monachus à Daventria, scribentes calumniam esse; cum dogma hoc semper ab Ecclesia Romana fuerit damnatum.

XIV. Verum horum negationem vel gerris Sicularum vaniorem esse testatur idem Andradius loco jam allegato Explicat. Orthodoxa pag. 292. 293. sic scribens: In facultate hominum, eorum etiam, qui solâ lege naturæ utuntur, est positum, ad istam agnitionem Dei, quam ex Philosophia & lege Naturæ hausserunt, quæq; ipsis ad salutem satis fuerat, ad jungere cultum, pietatem, religionem erga Deum, & Deum, quem summum bonum esse intelligunt, totis animi viribus diligere. Item. Si naturæ impossibilia exegisse ab Ethnicis Deus dicatur, divinitatis atque immunitatis teterrime reus à nobis Deus constituitur. Hactenus ille.

XV. Porro Thomas quidem infusionem gratiæ naturali ordine primam esse scribit: alii tamen in diversa sunt sententia, dicentes, Deum quamvis infundendo gratiam expellat culpam, ita ut gratia prius infundatur, quam culpa remittatur: non tamen infundere gratiam nisi ei, qui concordat gratiæ adveniendi, per motum liberi arbitrii in Deum, & peccatum expelli per motum contritionis, ita ut duo isti motus, liberi arbitrii & contritionis priores sint infusâ gratiâ, sint causa præparatoria, ut gratia conferatur, Thomas prima secunda quæst. 113. Quod verò quam crassè Pelagianismum resipiat, nemo tam obesæ naris est, quin facilè subodoretur.

XVI. Audiant etiam ipsius Concilii Tridentini Canonem, nihilominus *πελαγιαϊζοντα*, qui sic habet: Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur: & nulla ex parte necesse esse, eum SVÆ VOLVNTATIS MOTV PRÆPARARI ATQVE DISPONI, anathema sit. sess. 6. Can. 9. & 13. Jan. d. Anno 1547.

XVII. Augustinus Tom. 6. in lib. de hæresib. ad Quodvult-deum, cap. 88. refert. Pelagium in tantum gratiæ divinæ fuisse inimicum, ut diceret, hominem posse omnia divina mandata facere;



facere, nulla instructum gratia, sed à solis naturæ viribus paratum. Hoc ipsum Pontificiorum Coryphæus Andradius, locis jam citatis fatetur.

XII. Idem Pelagius à fratribus objurgatus, quod divinæ gratiæ nihil tribueret; concessit quidem, gratiam divinam nostris viribus priorem esse; eam verò ad hoc solum dari hominibus, ut quæ facere per vires proprias jubeantur, facilius possint implere per gratiam. Ubi illud mansit ὄπλοον, quod homo etiam sine Dei gratia, sed languidius ac difficilius, facere exactè possit, quæcunq; à Deo præcepta essent. Atqui verò hoc ipsum statuit ac defendit Tridentinum Concilium: Ergo consequens fuerit, Pontificiis, quippe per omnia πελαγισίῃσιν istam articuli nostri ἀρεσιν jure optimo opponi.

XIII. Quod statim intellexit Andreas Fabricius. Nam Johannes de Dauentria ex ejus Harmonia scribit: Hunc articulum (nempe quartum de Justificatione) qui dissensionum, sophismatum & errorum mundo ansam dedit, haudquaquam censura præterire debebat, nempe erroneum & Catholicæ fidei adversarium.

XIV. Ipse etiam Imperator in sua & Catholicorum Romanensium contra protestantes & confessores ex professo asserit & probare conatur; sacris literis adversari, si quis neget nostra opera, assistentiâ gratiæ divinæ peracta, non esse meritoria.

XV. Iodocus quoq; Lorichius Jesuita Friburgensis, in suo flagello hereticorum novo, sententiam & confessionem nostram de Justificatione hominis coram Deo facit fundamentum & originem omnium reliquorum, quos nobis tribuit, errorum, quando in præfatione ita scribit: Est namq; primum & præcipuum propositum ac studium hereticorum hujus seculi, ut in omnibus actionibus suis, suâ uti possent libertate. Atque ad hanc obtinendam tuendamq; sinxerunt heresin præcipuam: *Fidem solam justificare.* Pro hac heresi defendenda dolosè sinxerunt alias multas, ut decalogum non pertinere ad Christianos, Evangelium non docere præcepta, nulla esse consilia Evangelica, nec opera supererogationis: Bona opera quæcunq; non esse necessaria ad salutem: orationes prolixas, jejunia, peregrinationes, vota, vitam



*vitam monasticam & quaecunq; opera pœnitentiæ, indulgentias, esse inutilia ad salutem, &c.*

XXII. Quid multis? Ex Concilio Tridentino, Bellarmino, Gregorio de Valentia, Becano, aliisque satis liquet, sententiã Augustanæ Confessionis à Papistarũ *dis Aq̃ πασῶν* distare.

XXIII. Subdolè ergò hæctenus Calviniana quoq; gens clamavit & impudenter blateravit, quod omisã *αὐτῶν* in solã sententiæ veræ expositione ejusq; definitione acquiescat hic articulus, id factum esse, ut nimirum Confessores nostri palpũ facerēt Cæsari & reliquis Catholicis imperii ordinibus: partim verò nimis & prorsus indignæ timiditatis signum esse.

XXIV. Sed furit gens isthæc, dum nefariè officia carpit, quæ in legitimã etiam defensione à subditis præstari debent magistratui. Coram summo Magistratu tum res agebatur, eoq; partem adversariorum sequente; & agebatur res nondum judicata publicè aut evicta; sed confitenda primùm, tum probanda atq; demonstranda, tanquam ambigua & adversæ parti vixdum aliquousque cognita. Non erat hic locus sumendo iudicio, ferendæ sententiæ, stringendo anathemati: sed modestè & devotè dicendæ causæ. Quas officii partes Confessores sibi non transiliendas esse rectissimè censuerunt.

XXV. Quod timiditatem, quam nostris hæc turba objicit, profectò cæcutit illa & surdescit penitus, si de nostrorum Confessorum fortissimorum constantia nihil dum cognovit: vel si novit, projecti certè pudoris & extremæ impietatis fuerit, præclarissima heroum istorum facta vel oblivione sepelire vel confictis criminibus conspurcare velle.

XXVI. Sanè modestis quidem, manifestis tamen & satis perspicuis verbis Romanensium errores de justificatione operum rejecerunt & damnarunt, quando, ut diximus & demonstravimus *ἵνα ἴδωμεν* adjunxerunt, & statim primo loco posuerunt: Quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem.

XXVII. Alterum porrò exceptionis Pontificiæ membrum quod attinet, quo strenuè negatur, se viribus humanis ju-

B

stifica-



Justificationis meritum ascribere. Ibi protestatio contraria est facto. Sic argumentor: Ubi docetur lege naturæ quosdam esse justificados, ibi utique meritum justificationis ascribitur viribus humanis: Atqui in Papatu docetur lege naturæ quosdam esse justificados. Ergo in Papatu meritum justificationis ascribitur viribus humanis. Major est certa. Minor est probata supra thes. 6.

XXIIX. Deinde: Qui docent Ethnicis notitiam illam Dei, quam ex naturæ contemplatione hauserunt citra gratiã Christi, ad salutem satis fuisse, contendunt tãq; posteros Israelitas ex lege Mosis sine Christo salvatos esse, illi docent quosdam homines tantum viribus humanis esse justificados: Atqui Pontificii docent, Ethnicis notitiam illam Dei ex naturæ contemplatione haustam citra gratiam Christi ad salutem satis fuisse, & contendunt posteros Israelitas ex lege Mosis sine Christo salvatos esse. E. Pontificii docent quosdam tantum viribus humanis justificados esse. Minor habetur supra th. 9. & 10.

XXIX. Tertiõ. Qui facienti quod in se est, primæ gratiæ meritum ex congruo promittunt, illi viribus humanis justificationem si non ex asse, ex semisse tamen tribuunt. Atqui Pontificii facienti quod in se est primæ gratiæ meritum ex congruo promittunt. Ergo Pontificii viribus humanis justificationem si non ex asse, ex semisse tamen tribuunt. Major per se est manifesta. Minor habetur th. 11.

XXX. Quarto recentent Pontificii quatuor, quæ ad justificationem impii requiruntur. 1. Infusionem gratiæ. 2. Liberrum Arbitrium. 3. Contritionem seu detestationem peccati. 4. Remissionem sive expulsionem peccati. Primum horum & ultimum à Deo esse dicunt, reliqua duo ab homine peccatore justificando, tanquam à subiecto mobili recipiente justificationem.

XXXI. His præsuppositis rotam de Justificatione peccatoris doctrinam Scholastici Theologastri non tantum ad doctrinam de motu Physico accommodant; sed indidem eam probant & definiunt: quod sit motus ab injustitia ad justitiam, sicut calefactio motus sit ad calorem. Hinc inter alios Becanus quoque Pontificiorum sententiam exponit his verbis de  
justific.



justific. cap. 2. Mutatio illa, quâ homo ex statu peccati transfertur in statum gratie, vocatur apud Theologos justificatio: sicut mutatio, quâ quis ex egroto fit sanus, dicitur sanatio: & in quâ ex frigido calidus, calefactio.

XXXII. Quamquam etiam justificationem impii instantem esse docent, non successivam ratione temporis, ita ut in hoc justificationis motu sive actu, quatuor jam enumerata requisita simul sint tempore; tamen ordine naturæ alterum altero prius esse: Et thesi 15. ex Thoma probatum est, quosdam in Papatu esse in ea sententiâ, duos illos motus, liberi arbitrii in Deum & contritioni, priores esse infusâ gratiâ.

XXXIII. Hinc sic argumentatur: Quicumque motus liberi arbitrii in Deum & Contritionis faciunt primas causas justificationis, docentq; Deum propter illas gratiam conferre & Justificationem efficere, illi quoque statuunt justificationis causas meritorias esse vires humanas: Atqui Pontificii motus liberi arbitrii in Deum & Contritionis faciunt primas causas justificationis, docentq; Deum propter illas gratiam conferre, & justificationem efficere: Ergo Pontificii statuunt justificationis causas meritorias esse vires humanas.

XXXIV. Major probatur, quia ipsimet Pontificii & Scholastici concedunt 1. Liberam arbitrium & Contritionem esse ab homine peccatore justificando: Ergo sunt vires naturales hominis 2. Esse priores illos duos motus ipsâ gratiâ Dei. 3. Non habere se tantum passivè: quâ etiam possent, cum sint motus & actus, sed activè in justificationis actu 4. Ergo in justificatione homo suis viribus agit, & sic agens, quod in se est, meretur, ut Deus gratiam conferat, & justificationem absolvat.

XXXV. Minoris prior pars confirmatur à Thoma restante, inter Pontificios esse, qui non tantum actiones illas humanas, nempe liberi arbitrii & Contritionis, numerent inter causas justificationis, sed etiam illas priores asserant gratiâ Dei. Posterior: Quia enim priores sunt illi motus, Deus ad illos respicit, tanquam merentes suam gratiam.

XXXVI. Quintò sufficienter quoque idem confirmatur ex Catechismo Jesuitico, ubi sex illi constituuntur peccatorum



torum nostrorum expiationis modi 1. Pœnitentiæ Sacramentum 2. Eleemosynæ 3. Condonatio offensæ 4. Conversio errantis fratris 5. Abundantia sinceræ charitatis 6. Contriti cordis sacrificium. De gratia Dei, de Spiritu Sancto, de fide, de Christi merito verbum nullum.

XXXVII. Unde sic argumentamur. Quibus viribus fit expiatio peccatorum, illis etiam fit justificatio: Viribus humanis fit expiatio peccatorum. Ergo viribus humanis fit justificatio.

XXXVIII. Major probatur: Nam expiatione peccatorum fit justificatio; & justificatione fit peccatorum expiatio, adeo ut rectè dici queat, expiationem peccatorum esse ipsam justificationem; proindeq; reidem esse, tantum ratione distinguui, diciq; eudem actum peccatorum expiationem ratione termini à quo, quæ sunt peccata, quæ in justificationis actu remitti & expiari debent: Justificationem autem denominari ratione termini ad quem; expiatis enim peccatis, vel tum quando peccata expiantur, justitia imputatur, vel juxta erroneam Pontificiorum opinionem, justitia in homine generatur & introducitur.

XXXIX. Atque hoc est, quod plerique duas quasi partes justificationis constituent: remissionem peccatorum, & interioris mentis renovationem sive repurgationem, quæ verba sunt *Enchiridii Coloniensis*. Delphinus haud dissimiliter: *Due sunt, inquit, partes justificationis: prima est motus ab injustitia, quæ ipsa condonatio & remissio peccatorum est: altera motus ad justitiam, quæ procul dubio est ipsius aut justitiæ aut gratificantis gratiæ divini infusio.*

XL. Minor est certa. Nam omnes illi expiationis peccatorum modi, in Catechismo Jesuitico enumerati, ex viribus humanis proficiscuntur. Sic enim argumentamur: Omne illud, quod Pontificii in sufficienti sua modorum expiationis peccatorum enumeratione omittunt, illud ex modis illis excludunt: & contra, quos actu recensent modos, illos solos sufficere, solosque agnoscendos esse definiunt: Atqui Jesuitæ  
in suf-



in sufficienti sua modorum expiationis peccatorum enumeratione omittunt gratiam Dei, Spiritum Sanctum & meritum Christi, & actu recensent modos in viribus humanis consistentes: Ergo Jesuitæ gratiam Dei, Spiritum Sanctum & meritum Christi ex modis expiandi peccata excludunt, & contra modos illos, quos actu recensent solos sufficere, solosq; agnoscendos esse definiunt.

XLII. Major probatur. Nam r. sufficientem illam modorum enumerationem esse Jesuitis, liquet, quia in Catechismo eam proposuerunt: in cujus partibus necessariis constituendis & enumerandis nihil debet omitti: sed omnia integrè proponi, ne imperfecta & manca sit doctrina & institutio. Deinde consequentia certa ac firma est. Ubi enim quis affirmat vel innuit, se omnes enumerasse partes: ibi idem simul affirmat se partes enumeratas tantum pro veris ac legitimis agnoscere, negatq; se id pro verâ ac legitimâ parte habere, quod in sua enumeratione omisit.

XLIII. Tertium Exceptionis Pontificiæ caput, tribus vertitur modis. I. Sit sanè, non desint ex Pontificiis, qui sine gratiâ neminem justificari statuunt. Hodie enim communis ipsorum sententia est, justitiam, quam formalem causam justificationis faciunt Deum efficere per infusam gratiam: interim tamen id quoq; constat, illos ipsos gratiam istam priorum meritorum ac operum adjuventis ita circumscribere, munire & quasi involvere, ut ferè nihil amplius gratiæ maneat reliquum. Sic enim Bayus: *Nihil, inquit, aliud est justificatio, quam continua quadam progressio tam in operatione virtutum, quam in remissione peccatorum.* Et Andradius disertè justificationem duabus constare partibus, remissione peccatorum & legis obedientia: Item, legis observationem cum peccatorum veniâ conjunctam justificationem perficere & absolvere.

XLIII. Sed justitia cum modo habitum significet, modo actus ab habitu profluentes, fuere qui dicerent, eam justitiam a quâ denominatur justificatio, in actibus esse. Verum Bellarmin. cap. 15. lib. 2. disputat potius habituales esse:



nam illam alteram justificare quidem: at non formaliter, sed meritorie. Ergo nostrum habitum facit Bellarminus causam formalem justificationis, & nostra opera causam meritoriam.

XLIV. Secundo erroris latibulum sub *omni vicia* vocis *propria* quaerunt, quum de iis duntaxat operibus accipiunt, quae quis sine gratiae Dei adjutorio, solis naturae viribus praestiterit. Qua ratione propriis operibus nos justificari negant. Est frivola sophistica. Quandoquidem proprium non tantum appellatur, quod ex nobis est, aut principium seu ortum ex nobis ducit: sed etiam omne id, quod a nobis proficiscitur, aut quocumque sane principii sui ortu jam in nostra est potestate, ut cum vocabulo *Nostrum* plane aequi polleat.

XLV. Quare in Confessione *propria vires* appellantur propria merita, propria opera, non quae simpliciter seclusa DEI gratia ex conditione naturae nostrae ortum habent (quo pacto cum Pelagianis praecipue nobis res esset) sed propria appellantur, quae nostra sunt, a nobis profecta, quocumque etiam ortus sui principio. Sic preces nostrae dicuntur, quamvis eas non nisi spiritu sancto dictante conceperimus: Opes nostrae & propriae dicuntur, quamvis non nisi benedictione divina nobis concessae.

XLVI. Quare Pontificii nequaquam elabuntur, dum propriis, id est, ex naturae nostrae conditione profectis viribus meritis & operibus nos justificari negant, interim iis, quae in nobis & per nostras facultates spiritus sanctus operetur, meritis atque operibus justificationem assignantes. Sed eodem titulo, haec ipsa quoque, quae isti excipiunt opera, vires ac merita comprehendimus.

XLVII. Tertio. Non etiam omnes Pontificii in ea sunt sententia. Demonstravimus enim th. 6. varie in Papatu de hoc negotio doceri, & toties jam mutari statum controversiae, ut ne hodie quidem satis appareat, quamnam sententiam sibi vel tandem fecerint propriam.

XLIX. In eo autem hodie videntur convenire Jesuitae, justificationis, vel potius hominis justificati formam, quam justus



Ans denominatur, esse justitiam inhaerentem, five habitum  
justitiæ: dispositionem illam & virtutem, quæ legi divinæ obe-  
dientia præstatur. Jam verò quæritur an illam causa diversa  
efficiens, essentiã diversam faciat?

XLIX. Sanè Adam & Eva æquè fuerunt naturales homines,  
atq; Abraham & Sara: licet illi immediatè, hi mediatè à Deo  
procreati: Sic exoticæ linguæ, quibus loquebantur Apostoli  
immediatè à spiritu sancto edocti, non erant specie & naturã  
suã aliæ linguæ ab illis in quibus auditores nati erant. Ut igi-  
tur naturam humanam Adamus & Eva quilibet habuit pro-  
priam; & habitum loquendi variis linguis quilibet Apostolus  
habuit proprium: quemadmodum naturam suam Abraham  
& Sara habuerunt: & auditorum quisq; suum proprium lo-  
quendi habitum: sic etiam qui gratiã divinã obtinet habitum  
justitiæ, æquè habet suum habitum justitiæ atq; is, qui crebris  
actionibus illum acquirit.

L. Ratio est manifesta. Nam ubi est eadem ratio & causa  
proxima, per quam aliquid dici potest ac dicitur esse hominis  
proprium, ibi etiam aliquid eodem modo dici potest ac debet  
esse proprium: Atqui ex sententia Jesuitarum eadem est ra-  
tio & causa, nimirum inhaerentia, propter quam justitiã ex gratiã  
collatã, & justitiã acquisita dici potest ac debet hominis pro-  
pria: Ergo quoq; Jesuitæ concedere coguntur justitiã ex gra-  
tiã collatã, æquè dici posse ac debere hominis propriã,  
atq; justitiã acquisitã.

LI. Quartum & ultimum exceptionis membrum à Fabri-  
cio motum; quodq; odiosè & calumniosè repetit Franciscus  
Fen- Ardentius Theol. Parisiensis *in comment. in Jrenæum lib. 1.  
cap. 1. pag. 47. & cap. 2. pag. 52.* ibi scelus est in dica, vanitas in  
probatione, mentiendi & cavillandi libido plusquam diabo-  
lica in utroq;

LII. Ex Jrenæo *lib. 1. cap. 20.* & Epiphani. *lib. 1. tom. 2. her. 21.  
mibi pag. 24.* B. A. constat, Simonis Magi talem fuisse hæresin,  
ut diceret, ne sectatores sui amplius Prophetas curarent, sed  
spem suam in se, quippe qui esset virtus Dei magna & Sele-  
men



nem sine Helenam (scortum suum) quam Spiritum Sanctum mentiebatur, conjicientes, liberè agant, quæ velint. Nam secundum suam gratiam (ô blasphemiam!) salvari homines, & non secundum operas justas.

LIII. Valentiniani (teste Ephi phanio *lib. 1. tom. 2. herel. 31. pag. mibi 77. C.*) tres constituerunt hominum ordines: Spiritualem, Animalium, Carnalium: & finxerunt seipso quemadmodum & Gnosticos spiritualem ordinem constituere: quippe qui ad consequendam salutem nullo labore amplius opus habeant, quam solâ cognitione & arcanis suorum mysteriorum verbis: adeò ut quisque ipsorum intrepidè facere ausit, quodcunq; libuerit. Non posse enim non salvari suum ordinem.

LIV. Monstrent jam scurræ isti impudentissimi unicâ literam, unicum apicem, vel etiam minimum jota in articulis nostræ Confessionis, quod monstrosis illis & ex blasphemia confutis hæresibus vel in speciem duntaxat videatur patrocinari. Quod verò dum præstare in æternum non valeant, & nihilominus Ecclesias nostras teterrimarum istarum hæresium insimulare haud dubitant, mendacissimi meritò omnium haberi debent. Atque hoc responsum esto ad ea quæ statim ab initio Confessoribus Augustanis objecta sunt.

**F I N I S.**



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77











17

SECUNDI  
Confessionem

ARTIO II.  
tinens

ARTICULI IV.

ATIONE.

osita  
ademiâ V Vittebergensi,

S I D E

ARTINI, SS. Th.

mario, Facult. Theol.  
li Arcis Præposito.

NDENTE

FABRICIO

-Pruteno.

torio Collegii Veteris  
12. Julij.

BERGÆ,  
MONIS AVERBACH,  
DC XXIX.